



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118448

§. 20. Cardinalis Senensis Papa electus sub nomine Pii III.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

Sæcul. XV
A.C. 1503. cubile ducebat, aperire iussit, quemdam
ex ejus famulis ad illum mittens, qui
Cardinalem de proxima ipsius electione
certiorem faceret.

§. XX.

*Cardinalis Senensis Papa electus sub
nomine Pii III.*

*Mariana
lib. 28. n. 18.
Petr. Delph.
l. 7. epist. 84.*

Eo tempore Cardinalis Senensis lecto
affixus hærebat, ejus tamen rebus
Cardinalis S. Georgii, alique prospexe-
runt, tandem vero ad suffragiorum scruta-
tionem proceditur, ubi idem Cardina-
lis plurimorum vota tulit, ac trigesimo
quinto (*), quo Conclave tenebat, die,
vige.

(*) Quod Conclave triginta quinque dies tenuerit, manifesta est hallucinatio; ipse enim Continuator §. XV. testatur, non nisi quarta Septembris die exequias defuncti Pontificis inchoatas fuisse, quæ de more novendiales sunt, proinde Cardinales non nisi octo vel novem diebus in Conclavi congregati hærebant; hæc Continuator ex Volaterrano discere potuisset, qui lib. 22. cum aliis refert. Die XXX. vacantis Senensis Cardinales Conclave ingressi, octava post die Piccolomineum creant, cujus fama bonitatis animi omnium ad bene jam de religione, deque rebus humanis sperandum excitati fuerit. Ex quo, omniumque Scriptorum testimonio

vigesima secunda Mensis Septembris Sæcul. XVI. A.C. 1503.
 summus Pontifex renunciatus, Pii III. no-
 men assumpsit, in memoriam Pii II. sum-
 mi Pontificis, cujus ex Sorore nepos e-
 rat. Hujus Viri electio summo totius
 Orbis applausu excepta est; jamdiu enim
 communis omnium opinio illum cunctis
 suis Competitoribus longe præferendum
 censebat. Enimvero nullus ad extirpan-
 das, quæ sub nupero Pontificatu vi-
 gebant, corruptelas magis idoneus erat,
 nec novæ dignitatis sublimitas pristinam
 ejus vivendi rationem immutabat; nam
 exulabant ab eo arrogantia, superbia,
 ac ferocitas, nil asperum in moribus, nil
 molle in corporis habitu præseferbat,
 semper ut antea modestus, comis, atque
 ad prudentiæ leges compositus, necnon
 fervens in eo ardebat studium Eccle-
 siæ, ac præsertim Curiæ Romanæ mores
 severiori censura perstringendi, ac tetram
 labem quorundam Cardinalium amo-
 vendi, qui fastu, luxu, aliisque turpiori-
 bus vitiis purpuræ, qua induebantur,
 splendorem obscurabant: Electum igitur
 quanto-

*nio patet, ea omnia, quæ Continuator de arti-
 bus in ejus electione adhibitis refert, conficta
 esse, cum sine teste recenseantur, Et a Ciaconio,
 Odorico Raynaldo, Panvinio, Paggio, Bzo-
 vio, aliisque Scriptoribus omnino taceantur.*

Hist. Eccles. Tom. XXXI.

H h

Sæcul. XVI
A.C.1503.

quantocius Cardinales sacro pedum osculo, & Pontificiis insignibus honorant, quo facto Cardinalis S. Georgii aperta Conclavis fenestra ejusdem electionem populo annunciabat, demum vero Papa ad Ecclesiam S. Petri delatus, cum ob cruris dolores in genua procumbere haud posset, caput inclinando nec ultra se erigens, Altare, cui postea imponebatur, salutabat, quibus peractis Hymnus Ambrosianus decantabatur.

§. XXI.

*Neo-electus Papa Sacerdos, atque
Episcopus initiatus, ac demum
coronatus.*

Post hæc neo-electus Pontifex omnes Cardinales suos sub Basilicæ Vaticanæ porta majori valere jubet, atque ad Palatium suum defertur; postera vero die S. Collegium ad alloquium admisit, ingensque testificabatur desiderium, ut a Cardinale Neapolitano sacrum Presbyteratus Ordinem recipere posset, eo autem recusante Cardinalem S. Petri ad vincula adiit, qui die trigesima Septembris hisce cæremoniis functus est: Die autem vigesima nona ejusdem Mensis, quæ erat feria quarta, non sine ingenti dolore duas in crure incisiones perpeffus est;